

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

---

Christian Breithaupt


**Confvtatio Iohannis Bodini In Colloqvio Heptaplomeres Adserentis Censvm  
Imperatoris Avgvsti Tempore Nativitatis Christi Per Qvirinivm Non Esse Factvm :  
Programmatis Loco Die Nativitati Christi Sacro Anni MDCCXXXVII In Illvstri Ivlia  
P. P.**

Helmstadii: Typis Pavli Dieterici Schnorrii, 1737

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1691819824>


Druck    Freier  Zugang





Rp-395(9)  
R.p-395(9.)





*Breithauptii*

Lii  
CONFUTATIO  
IOHANNIS BODINI  
IN  
COLLOQVIO HEPTAPLOMERES  
ADSERENTIS

CENSVM IMPERATORIS AVGVSTI  
TEMPORE NATIVITATIS CHRISTI  
PER QVIRINIVM NON ESSE

FACTVM:

PROGRAMMATIS LOGO

DIE

NATIVITATI CHRISTI  
SACRO

ANNI CI<sup>9</sup>CCC XXXVII

IN

ILLVSTRI IULIA

P. P.

40

---

HELMSTADII

TYPIS PAVLI DIETERICI SCHNORRII  
ACAD. TYPOGR.

CONVENTUS  
JOHANNIS BODINI  
COLLOQUIO AERATATEM  
CENSUM IMPERATORIS AUGUSTI  
TEMPORE NATIVITatis CHRISTI  
THEO QUINTINUS NON ESS  
FACTUM  
SOGGERUM MATHIAS LOCO  
DIE  
CANTICUM CHRISTI  
ZAVRO  
ANNO CLXXXVII  
LITERIS LIVIANA  
TIBI  
ACER EUGENI

PRORECTOR  
ACADEMIAE IVLIAE  
**CHRISTIANVS BREITHAVPT**

CVM SENATV  
CIVIBVS SVIS

**I**ntra scripta illa, quibus **IOH. BODINVS**, natione Gallicus, religione vero occultus Judæus, vel potius <sup>εμπαρκης</sup>, magnam nominis famam sibi comparavit, repertus etiam est post mortem eius libellus manuscriptus, qui inscribitur: *Colloquium Heptaplomeres de abditis rerum sublimium arcanis.* Qui titulus non inde originem suam trahit, quod in VII. libros distributus esset, ut quidem **CLAVDIVS SARRAVIVS** forte ex hac ipsa voce, quia opus sex tantum libris distinctum non viderat, coniecit: a) sed, quia dialogus est, in quo VII. viri, diuersæ tamen omnes religionis, videlicet **PAVLVUS CORONAEVS, FRID. PODAMICVS, HIRON. SENAMVS, DIEGVSTORALBA, ANTON. CVRTIVS, SALOM. BARCASSIA, & OCTAV. FAGNOLA**, operis inter se partitis, perpetuo confabulantes introducuntur. Primus Pontificiorum, secundus Lutheranorum, tertius Ethnicorum, quartus Naturalistarum, quintus Reformatorum, sextus Judæorum, & septimus denique Muhammedanorum partes tuetur, easque defendit. Qui omnes vero ita de rebus fidei disputant, vt

A 2

Chri-

a) In epistol. Arauf. an. 1654. edit. p. 325.

4 (20) PR

Christiani, siue Pontificii, siue Protestantes sint, semper succumbant, Judæi vero & Naturalistæ victoriam reportent. Cuius lepidi inuenti non tam ipse **BODINVS**, quam potius terraneus eius **GVIL. POSTELLVS**, ingenium ferox, nec intra modum subsistens, primus auctor perhibetur. Hic enim, teste **HENR. STEPHANO** b) saxe dixisse fertur, illum, qui bona religionis speciem efformare velit, eam ex tribus istis, Christiana, Judaica & Turcica conflare debere. Quod etiam a vero abhorrere non videtur, si **GABR. NAVDAEO** fides habenda, diserte hoc erga **GVIDON. PATINVM** fatenti, fuisse omnino Venetiis quatuor homines, qui singulis hebdomadibus instituendarum super variis religionibus dissertationum philosophicarum caussa bis conuenerint, atque in his præcipue **CORONÆM Rothomagensem**, & **Guil. Postellum**, notarii vices sustinentem, cuius chartæ post obitum eius in manus Bodini inciderint, & huic occasionem dederint, ex iis libellum hunc conficiendi. Quicquid vero huius est, curiosum, de quo agit, argumentum libro ipsi magnam conciliauit estimationem, effecitque, ut haud raro ingens pro eo soluta sit pecunia. Et licet hodie non amplius se tanta raritate, quanta olim, commendet, sed per multorum manus vagetur: mirari tamen merito subiit, qui factum, ut præter **B. POLYC. LYSERV** nemo fere inter eruditos repertus sit, qui de opere hoc edendo & confutando inierit consilium. Negari quidem non potest, si omnibus promiscue liceret, eiusmodi libros, quibus christiana fides impregnatur, publicæ luci exponere, magnum inde damnum tam rei christianæ, quam civili illatum iri; siquidem hoc modo non solum controversiæ multiplicarentur, sed etiam simplicioribus, vel in religione nondum satis fundatis infinita offerretur occasio ad errores prolabendi. At, si dicendum, quod res est, ex editione huius libri parum malum extimescendum. Placet nobis hac de re iudicium **POLYC. LYSERI**, **PRO**

b) In *Introduct. tractatus de conformitate miraculorum antiquorum & novorum c. XIV. p. 106.*

professoris quondam in hac Academia celeberrimi, sic scribentis: (c) *Qui hoc scriptum Bodinianum nunquam esse edendum pronunciant, vel præjudiciis maximis de hoc scripto laborant, cum illud nunquam inspicerint, vel in doctrina christiana minus solide se fundari suspicionem præbent.* Ego editionem illius colloqui non adeo dissuadendam putarem, cum & exstant pestilentiora, aut saltem æque impia scripta in Wagenseilii telis igneis Satanæ, & alibi, &, si adderetur antidotum, nullum inde damnum apud infirmiores in fide foret metuendum, sed potius occasio daretur, multa erudita, utilia, ac curiosa eruendi. Et profecto ita se habet res. Liber adco periculosus non est, ut vulgo creditur. Omnes enim obiectiones, quas BODINVS hic in medium adulit, passim iam in criticorum & philologorum commentariis leguntur, neque auctor aliud quicquam præstitit, nisi, vt, quæ apud alios sparsim & frustatim inueniuntur, hic in vnum redegerit cumulum. Hinc quilibet sine periculo librum legere potest, quia dubia, in eo contenta, facile solui possunt, nec noua sunt, sed ab aliis iam dudum obseruata atque explora. Non molimur in præsenti totius libri confutationem, opportuniorti fortasse occasione, si Deus vitam concederit, reseruandam: vt autem constet, cuius valoris ista sint, quæ in eo continentur, placet hac vice, hoc exemplo satis luculento aliquantis per illustrare. Neque occupabimur in materia facili, vel nimis trita, sed eligemus controuersiam valde difficilem atque illustrem, vt tanto clarius dubiorum Bodinianorum futilitas innotescat. Nam si in argumento per se difficulti & intricato tantus fuit nugator, facile, quid de reliquis eius obiectonibus, quas contra alias veritates, quæ tantis dubiis obnoxiae non sunt, formauit, sentiendum sit, in aprico erit.

A 3

In

---

c) *Dissert. de vita & scriptis Io. Bodini Wittebergæ an. 1715. habita  
§. 25.*

In omni historia ecclesiastica nulla fere quæstio æque controuersa est, atque illa: *Quis tempore nativitatis Christi mandato imperatoris Augusti censum egerit in Iudea?* difficultatis caussam dissensus parit, qui hic inter scriptores profanos, & LVCA M intercedere videtur. Hic enim QVIRINIO Syriæ præside censum factum esse scribit. d) Contra vero apud IOSEPHVM scriptorem Judaicum, e) QVINTILIVS VARVS tunc temporis Syriam rexisse dicitur. Quæ scriptorum dilcrepantia in hunc usque diem eruditis gryphus fere fuit indissolubilis, eorumque ingenia adeo exercuit, ut modo ad has, modo ad illas coniecturas, sapientius vero longe petitas, & ne minimam interdum veritatis speciem habentes delapsi sint. Purpuratus pater CAES. BARONIVS f) ex hoc difficultatis labyrintho se aliter extricare, & scriptoris sacri autoritatem vindicare nescit, nisi, ut omnem culpam in IOSEPHVM reiiciat, eum multorum errorum inculet, & tanquam scriptorem mendacissimum, cui in historicis nulla habenda sit fides, turpiter traducat. Qua de caussa etiam ab ISAACO CASAVBONO, prout meruit, grauiter castigatus est. g) THEODORVS vero BEZA h) & HENR. VALESIVS i) adhuc grauius impingere videntur, quando textum LVCAE corruptum, & loco της Κυριας Κυριας legendum esse, adserere non erubescunt. Quæ conciliandi ratio cum nimis audax esse, & etiam cum prouida Dei cura circa conseruationem verbi sui pugnare videatur, alii aliam ingressi sunt viam, & verba LVCAE: Αὕτη ἡ αποκριτὴ πρώτη ἐγενέτο, ἡ γεμονεύοντος της Συρίας Κυριας ita explicarunt,

d) *Luc. cap. II. v. 2.*e) *Antiq. Jud. lib. XVII. c. V. pag. 836. 840. cap. IX. p. 851. It. de bello Iuda. lib. I. c. XXXI. p. 134. Et lib. II. c. III. p. 151. edit. Hauercampii de an. 1729.*f) *In Apparat. Annal. num. LXXXII.*g) *In Exercitat. ecclesiast. exercit. I. num. XXVIII. p. m. 94. seqq.*h) *In Annotationib. ad Luca cap. II.*i) *In Notis ad Histor. ecclesiast. Eusebii lib. I. c. 5. pag. miki 10. n.*

runt, vt vox:  $\pi\varrho\omega\tau\eta$  non in sensu positivo, sed comparatio sumta, hunc sensum referat: *Hæc descriptio prius facta est, quam præses esset Syriae Quirinius.* Hoc modo nodum hunc soluere conati sunt ERASM. SCHMIDIVS, k) IOH. HERWARTVS, l) IOH. KEPLERVS, m) HENR. NORRISIVS, n) IOH. CLERICVS, o) ADRIAN. RELANDVS p) & complures alii. Atque hanc quæstionis obscuritatem callide etiam IO. BODINVS tanquam argumentum arripuit, quo ad obtinendum suum finem, scilicet, vt euerteret sacrarum litterarum veritatem, commode abuteretur. Hinc omnem mouet lapidem, vt LVCAE relationem de censu, tempore nativitatis Christi per Quirinium facto, suspectam reddat. Sed, si ratiunculas istas, quibus hoc euictum dare annititur, paullo curatius examinantur, partim tritæ & vulgares sunt, quibus iamdudum a theologis nostris satisfactum est; partim adeo elumbes ac frigidæ, vt statim ex iis malignus eius animus, quo omnia in finistrum sensum detorquere studuit, sole meridiano clarius elucescat.

Primum prouocat ad DIONEM CASSIVM, scriptorem Romanum, descriptionem illam, de qua LVCAS agat, ad penultimum imperatoris AVGUSTI annum referentem. q) *Ratio temporis, inquit, r) (scil. quo Christus natus dicitur) cum historia census Augusti conuenire nequit.* Augustus enim censum illum totius imperii Romani fecit anno sui dominatus penultimo, quod est apud Dionem: quo tempore Iesus annum attigerat decimum

k) In Notis posthumis ad Lucam.

l) In opere chronologico.

m) In Eclog. Cbronologic.

n) Dissert. II. ad Cenotaphia Pisana c. 16.

o) Dissert. I. Harmonia Evangelica subiecta.

p) In Antiquitat. Ebraor. sacris Part. IV. c. III. §. 3. p. m. 43.

q) Histor. Roman. Lib. LVI. pag. 59.

r) In colloquio Heptaplomeres lib. V. p. m. 99.

mum quartum. Sentiens vero, se nihil, quod ad caput caussa pertinet, hac obiectione lucraturum, statim deserit illam, & ad eandem ipse sub persona CVRTII sic respondet: *Curtius: Descriptio duplex ab Augusto facta est. Sic enim dicit Lucas: prima praeside Syrorum Cyrenio.*

Ne vero adduxisse videatur, quæ nullo gaudeant fundamento, illico iterum sub persona SALOMONIS testimonium ROSEPHI subiungit: *Id fieri nequit, cum ex historia Josephi Quintilius Varus eo anno preses erat, non Cyrenius.* Idem Josephus scribit, *Judeæ tantum descriptionem fecisse, ac IX. post annos Herodem mortuum.* At qui subtilius ista conquirunt theologi christiani, ex etate Jesu colligunt, *Quintilio Varo praesidem natum esse.* Hoc dubium utique grauius est priori. Ut vero digne refellatur, necesse non est, ut cum BARONIO IOSEPHVM statim inuadamus, eumque pro scriptore mendacissimo habeamus. Quemadmodum enim scriptor hic ea laude minime est defraudandus, quod diligentissime res patriæ suæ litteris consignauerit: ita etiam præsumtio pro illo militat, quod de iis rebus, quæ sua ætate, vel paullo ante contigerunt, veritatem scripserit, licet in iis, quæ in antiquioribus temporibus, ætatem eius longe antegressis, acciderunt, subinde aliquid humani passus sit, & grauissime errauerit. Alia ergo inuestiganda ratio est, qua cum LVCA in gratiam redeat: neque putamus, eam inuentu adeo esse difficilem. Περὶ τοῦ Φείδος sententiæ huius, Josephum Lucæ contradicere, in eo situm esse videtur, quod interpretes N. T. vocem ἡγεμονεύειν non in ea acceperint significatione, in qua sumi debebat. LVCAE verba sunt: 'Αυτῷ οὐ διώργανθή περὶ την ἐγενέτο ἡγεμονεύοντος τῆς Συρίας Κυρνίας. Vulgata verio reddidit: *Hæc descriptio prima facta est praeside Syriae Cyrenio.* LVTHERVUS vero: Diese Schatzung war die allererste/ und geschahe zur Zeit/ da Cyrenius Landesfieger in Syrien war. Varia autem vocis: ἡγεμονία & ἡγεμονεύειν est significatio, subinde quamvis, subinde vero maiorem & extraordinariam potestatem indicans. Hinc ἡγεμόνες sunt tam praesides prouinciarum, quam legati, qui extra ordinem mittuntur, & vulgo

vulgo audiunt extraordinaire Ambassadeures. Quin imo interdum etiam titulus: ἡγεμών ipse imperatori Romano tribuitur, & imperium Romanum appellatur ἡγεμονία, teste eodem **LVC**A euangelista. s) Quemadmodum autem ex eo, quod **PONTI-**  
**VIS PILATVS** citato loco dicitur δῆγεμών, & imperium Ro-  
manum ἡγεμονία, non licet concludere, hunc eiusdem cum  
imperatore **TIBERIO** fuisse dignitatis: ita etiam absurdum es-  
set, si quis contendere vellet, **QVIRINIVM** tempore nativitatis Christi ordinarium fuisse Syriae præsidem, quia eodem, quo reliqui præsides ordinarii, gauisus esset titulo. Neque etiam hæc duo sibi contradicunt: fuisse tunc temporis **QVINTI-**  
**LIVM VARVM** ordinarium Syriae præsidem, & missum esse  
ab imperatore in eandem provinciam **QVIRINIVM** extra ordi-  
nem ad censum modo agendum. Vnde verba illa: "Αὐτὴν οὐ α-  
πογειεῖν τρέψετο, ἡγεμονεύοντος τῆς Συρίας Κυρηναίου", quæ  
B. **LVTHERVS** germanice reddidit: Diese Schätzung war die  
allererste / und geschah zur Zeit / da Cyrenius Landpfleger in Syrien  
war; fortasse rectius meutem scriptoris sacri exprimerent, si  
verterentur hoc modo: Diese Schätzung geschah zu der Zeit / da  
Cyrenius als ein außerordentlicher kaiserlicher Befehlshaber oder Ober Commissarius sich in Syrien aufhielt. Quæ interpretatio ne-  
que vim ullam verbis affert, neque longe est petita, & vno i-  
ētu maledicam **BODINI** linguam occcludit. Atque hanc ex-  
plicationem veram & genuinam esse, docet **SVIDAS**, ex ve-  
tore quodam scriptore obseruans t), imperatorem **AVGV-**  
**STVM**, cupidum noscendarum virium ac status imperii, mi-  
ssisse in vniuersam ditionem Romanam viginti homines dele-  
ctos, alium alio, ad descriptionem faciendam: prouinciam  
autem Syriam *P. Sulpitio Quirinio* obtigisse, non, vt eam ad-  
ministraret, sed vt in ea censum institueret. Neque hoc apud  
Romanos adeo infrequens fuit, vt in eadem prouincia pro ra-  
tione necessitatis duos quandoque, vel plures haberent præsi-  
des,

B

s) Cap. III. v. i.

t) In Lexico sub voce: Απογειεῖν.

des, alterum cum potestate ordinaria, alterum cum extraordinaria. Inprimis vero hunc morem imperatores usurparunt, ut ad census agendos magistratus extraordinarios in prouincias destinarent. Sic DRVSVS in Galliam missus ab AVGVSTO ad censum agendum, vti CLAVDIVS imperator memorat. u) Sic CAESAR GERMANICVS a TIBERIO missus summo cum imperio in Orientem, CN. PISONE Syriæ præside w). Sic, cum C. CESTIVS, & deinceps P. LICINIVS MVCIANVS Syriam regerent, bellum contra Judæos mandatum est VESPASIANO, ac tandem filio eius TITO. Quæ exempla satis testantur, nihil insoliti fuisse apud Romanos, duos habere in eadem prouincia cum imperio, non modo inturbata, sed etiam pacata in prouincia, vbi res & vsus postulet.

Jam si vero queratur, quid imperatorem AVGVSTVM cum primis mouerit, vt ad negotium census conficiendum non ordinarium præsidem, sed extraordinarium QVIRINIVM adhibuerit? eius quidem rei duæ potissimum causæ fuisse videntur. Primum QVIRINIVS, vt a TACITO describitur, x) fuit homo auarissimus, qui ingenium a natura habebat ad pecunias corradendas & extorquendas aptissimum. Atqui vero his moribus homines ad negotia, quibus de explendo ac subleuando ærario agitur, omnium felicissime applicari, AVGVSTVM, qua erat subacta prudentia, non latebat. Deinde etiam iam pridem summos honores cum laude gesserat, & diligentia ac fidei sua in conficiendis negotiis egregia ediderat specimen. Quæ cum omnibus nota essent, facile imperatorem commouere poterant, vt illum solum huic rei expediundæ præficeret.

Sed vt ad BODINVM reuertamur, pergit hic ita ratiocinando: *Huc accedit, inquit, quod illa Augusti descriptio ciuium Romanorum, non etiam peregrinorum, aut sociorum, aut vectigali-*  
um

v) *Orat. pro Gallis, ciuitate domandis, apud GRVTER. in Inscription.*  
p. 502.

w) *TACIT. annal lib. II. cap. LXIX.*

x) *Annal. l. III. c. LXIX.*

um censum continebat, ut planum facit Eusebius, qui post Actiam victoriam censum ciuium Romanorum factum esse scribitum in urbe, tum in prouinciis. Numerum autem ciuium fuisse 656000, & Christo nascente 1581000. At Josephus non erat ciuis Romanus, alioquin Pontius prouinciae praeses Iesum filium eius, maiestatis ac impietatis reum, Romam misseret, ut postea Festus, eiusdem prouinciae praeses, Paulum ciuem Romanum (quia pater eius ciuitatis ius emerat) Romam amandauit. Quæ hic ex EVSEBIO a BODINO adducuntur, certius constarent, si in allegandis aliorum scriptorum testimoniis maiori, accuratione usus fuisset, librumque & caput semper apposuisset, ubi ista legantur: sed, cum hoc ab auctore non fuerit obseruatum, neque nos recordemur, hæc apud EVSEBIVM umquam legisse, non leuis suboritur suspicio, num forte mendum quoddam culpa describentis in manuscriptum Bodinianum irrepererit, & sub EVSEBII nomine alias quispiam sit intelligendus. Nam, quæ EVSEBIVS in chronicō suo de censibus imperatoris AVGUSTI refert, non conueniunt cum hisce citatis. Bis saltem meminit numeri descriptorum ciuium: sed utroque in loco y), discrepat tam a BODINO, quam ab aliis profanis scriptoribus, ideoque & ipse iam prideam ab eruditis erroris postulatus est. z) Ne quid nunc de eo adiiciamus, descriptiones istas, quarum EVSEBIVS mentionem facit, non per totum imperium, sed tantum Romæ institutas esse. Quod porro addit, IOSEPHIVM non fuisse ciuem Romanum, alioquin PONTIVM PILATIVM lege obstrictum fuisse, filium eius IESVM Romam mittere, hoc merum sophis-

B 2

ma

y) Prior locus in Chronicō p. m. 68. lit. c. ita se habet: *Censu Rome agitato, inuenta sunt ciuium Romanorum XLI. centena, & LXIV. milia.* Posterior vero pag. 70. lit. B. hic est: *Augustus cum Tiberio filio suo censum Rome agitans inuenit hominum nonages trecentena & septuaginta millia.* Qui ambo numeri numeris, a BODINO adductis, nequaquam respondent.

z) In primis a IAC. VSSERIO in Annal. V. & N. Testam. pag. 549. edis. Genev. de an. 1722.

ma est, quod nihil ad rem consert. Esto enim, IOSEPHVM non habuisse ius ciuitatis Romanæ: nullo tamen idonei & fide digni scriptoris testimonio ostendi potest, censum, tempore nascentis CHRISTI institutum, fuisse tantum particularem, non vero uniuersalem. Curiositas imperatoris AVGUSTI sciendi, quantæ essent imperii sui vires, quæ manus bello apta, facile nobis contrarium perluadet. Et quid multa? quod census hic vniuersalis fuerit, hoc SVIDAS diserte testatur his verbis: *Augusto, inquit a) Cæsari visum est omnes, qui imperium Romanum inhabitarent, viritim percensere, quod scire vellet, quanta esset ipsorum multitudo.*

Ut vero BODINVS mortalium animis tanto maiorem somniis suis caliginam offundat, sequentia statim subiicit: *Nec credibile est, si vettigales cum sociis censuissent, qui imperii Romani finibus continebantur, tantam hominum paucitatem futuram, quantam Eusebius ex libris censualibus in historiam consultavit.* Ad hæc nihil aliud reponimus, quam nos valde vereri, ne, quod auctori incredibile visum est, apud alios tanto maiorem fidem inueniat. Qui enim perpendit, in quam turbulentio imperium Romanum statu fuerit paullo ante tempora AVGUSTI, quot bella cum exteris nationibus gesta, quam graues laxe clades, præsertim a Germanis, maioribus nostris, perpetrati Romani, quomodo semetipsi per intestina & ciuilia bella attruerint, & quanta haud raro multitudo hominum publicis calamitatibus v. g. fame b), peste & id genus aliis perierit, facile sibi persuadebit, numerum ciuium Romanorum non fuisse tantum, quantum magnitudo huius regni ferre potuisset. Neque de flore imperii Romani alijs conceptus formandus est, quam qui statui istorum temporum conuenit. Nostris temporibus longe alia rerum omnium facies est. Hodie multæ regiones, quæ

---

a) In Lexico sub voce: *Augustus.*

b) Cuius rei notabile exemplum sub ipso AVGUSTO anno XLIX. dominatus sui contigit, quo famæ Romæ, teste eodem EUSEBIO in chronic pag. m. 70. lit. a. tam ingens facta, ut quinque modii venderentur denariis XXVII.

quæ olim penitus desolatae, & ab omnibus fere incolis orbatæ fuerunt, abundant potius hominibus, quam ut eorum penuria laborent. Et licet Romani omnem impenderent operam, ut loca inculta occuparentur, huncque in finem modo huc, modo illuc colonias mitterent, parum tamen vel nihil efficiebant, cum ex aduersa parte continua bella tot millia hominum absumerent. Ex quibus, quid ponderis ratiuncula isti, qua BODINVS a paucitate ciuium descriptorum argumentum deducit, insit, in propatulo est.

Reliqua dubia, quibus censum AVGVSTI, tempore natiuitatis CHRISTI actum, impugnat, breuitatis caufa vnico complectemur fasce. Si tamen, inquit, repugnantibus historiæ scriptis, vectigales quoque populos censos fuisse concedamus, quis tam acerbus ac ineptus censor, qui subditos coagit unquam, e ciuitatibus & prouinciis in alias ciuitates & prouincias emigrare census caufa? quod si unquam factum esset, quis parturientes feminas ad id compulisset? ac tantum abest, ut parturientes eo necessitatibus adigerent, ut ne feminæ quidem in censum venirent, ut videre est apud Liuium lib. XXVII., qui, quoties ciuium numerum ex censibus descripsit, haec verba fere subiicit: præter mulieres. Ut lustro septimo: Ciuium, inquit, qui puberes essent, sunt CX. millia. Mulierum autem & puerorum, seruorumque & mercatorum ac sordulas artes exercentium (si quidem Romano ciui operosam artem tractare licuit) triplo plus, quam turba ciuilis. Nec vero Moses duplici censu, quem habuit Num. I. & XX., nec Dauid, cum populum censeri iussisset, feminas, aut minores annorum XX. complexi fuere. Sed non desunt, quæ & hic regerantur. Fallitur primum BODINVS, si existimat, census semper uno eodemque modo a Romanis fuisse actos, ita, ut nomina tantum virorum, non item feminarum & parvulorum annotata sint. Contrarium docet DIONYS. HALICAR NASSEVS, scriptor fide dignissimus. Hic enim modum, quo census peragi solebat, describens diserte dicit c) quemlibet ciuium lege obligatum fuisse, nomen, genus,

c) Antiquit. Roman. lib. IV. pag. m. 221. edit. Lipsiens. de an. 1691.

annos de se, vxore, liberisque & seruis, atque in his officia ac artes iurato profiteri, &, si quis detrectasset, aut fefellisset, grauissima poena affectum, nimirum amissione bonorum & ciuitatis. **DINYSIO** hac in re suffragatur **L. ANNAEVS FLO-RVs**, qui idem memoriae prodidit. d) Et quamquam apud Iudaos hoc singulare erat, quod in certas tribus distribuerentur, & quilibet se illi tribui accenseret, ex qua oriundus, licet non in eadem domicilium suum haberet: a vero tamen non videatur absimile, eundem morem Romanis quandoque frequentatum fuisse, vt census caussa ad eas ciuitates, in quibus nati erant, se conserrent. Hoc haud obscure ex ipsis **LIVII** verbis, ad quem tamen ipse **BODINVS** hic prouocat, colligitur. *Censa sunt inquit LIVIVS* e) ciuium Romanorum capita ducenta sexaginta nouemmillia & quindecim. Minor aliquanto numerus, quia **L. Postumius** consul pro concione edixerat, qui socium latini nominis ex edito **C. Claudii** consulis redire in ciuitates suas debuissent, ne quis eorum Romae, sed omnes in suis ciuitatibus censerentur. Atque haec procul dubio etiam caussa fuit, quæ **JOSEPHVM** compulit, vt surgeret, & se ad locum, ubi natus erat, conserret. Quando autem queritur, an etiam feminæ prægnantes necesse habuerint, vna proficisci, vel, an **MARIA** imminente partu domi manere potuisset? facile quidem largimur, illam, si id fecisset, optimo iure exculari potuisse: non dubitamus tamen, quin consulto & cogitate se una cum **JOSEPHO** in viam dederit, partim, vt obedientiam suam erga magistratum, quamvis ethnicum, ostenderet, partim etiam, vt se illius curæ non subduceret, cui a Deo ipso commendata fuerat. f) Quod tandem ad exempla **MOSIS** & **DAVIDIS** attinet, qui populum numerari iusserint, exceptis feminis & infantibus, ista male hue trahuntur, quia nihil magis probant, quam quod descriptiones apud omnes populos & omni

d) *Libr. I. cap. VI.*

a) *Histor. lib. XLII. cap. X.*

f) *Matth. cap. II. v. 13, 20.*

omni tempore non vno eodemque modo sint peractæ. Interdum enim omnes homines cuiuscunque sexus & ætatis promiscue simul descripti sunt, interdum vero tantum viri tanquam capita familiarium, & ex iuuentute illi, qui ad arma ferae idonei videbantur. Quæ censendi ratio etiæ ut plurimum obtinuit, nondum tamen argumento est, ex quo colligas, censum tempore nativitatis **CHRISTI** eiusdem fuisse generis.

Instat vero adhuc **BODINVS**, &, quia necessitatem itineris Iosephi e Galilæa Bethlehemum versus concoquere non potest, consequentiam absurdam exinde deducere conatur. Iam vero, inquit, si census causa emigrandum fuisset, oportuisset Africæ incolas, Romanorum subditos, cum uxoribus ac liberis, totaque familia in Europam, ubi nati fuerant, & ab Asia in Africam traduci, non sine intolerabili sumtu; quæ nullis unquam Romanorum, aut populi cuiusquam instituimus facta legimus: sed, ubi quisque domicilium habuit, ibi censebatur, & censores coloniarum libros censuales Romanam transmittere consueuerant, vt Liuius scribit. Quin etiam Cæsar ipse dictator ad ciuium singulas domus urbis Romæ adiit, quo censum faceret, vt scribit Tranquillus in Cæsare. Itaque non mirum, si acutiores Christianorum theologi nodum istum, quem soluere non poterant, secuerunt. Sed frigida, & iejuna omnia, & ex parte etiam falsa. Quæ enim inferendi ratio, si Judæos oportuit census causa ex ea ciuitate, in qua habitabant, in aliam, ubi nati erant, commigrare: similiter ultimas Asiarum vel Africarum regiones incolentibus, si forte in Europa natuere, idem facere incubuit? quasi vero horum omnium una eademque cum Judæis fuisset conditio. IUDAEI multa habebant singularia, quibus ab aliis populis distinguebantur. Hinc etiam ethnicis adeo exosi erant, quod tam diversis essent moribus. In primis vero hoc sibi peculiare vindicabant, quod in XII. tribus diuisi essent, quæ ne confunderentur, omni cura ac sollicitudine prospiciebant. Qui ergo sciri accurate potuisset, quantum quælibet tribus hominum multitudinem complecteretur, si nomi-

nomina omnium promiscue & indiscriminatim secundum loca domiciliorum in tabulas censuales relata fuissent? quantam confusionem & molestiam censoribus creasset, si, descriptio prius consule facta, nouam operam nominibus descriptorum iterum separandis impendere, & ad quamicunque tribum vnumquodque pertineret, inquirere debuissent. Quod incommodum ut euitaretur, trique sarius erat, ut quisque se ad civitatem patriam conferret, & ibi censeretur. Neque hoc IUDAIS ipsis adeo molestum aut onerosum erat. PALESTINA enim non erat tantæ amplitudinis prouincia, quin intra spatum paucorum dierum tota peragrari potuisset. Et cum singuli IUDAEI ex omnibus tribubus quotannis HIEROSOLYMAS, in medio fere regionis sitas, templi frequentandi causa adire tenerentur, facile etiam, & sine magno lumtu hoc iter suscipere poterant, quod pro ratione locorum, ab HIEROSOLYMIS distantium, modo breuius, modo longius erat. Quæ cum ita sint, ecquis est tam angusti ingenii, qui non peripiciat, mala fide hic agere BODINVM, & lo phisticari, si instantia minus applicabili historiam census, a LVCA descripti, suspectam reddere allaborat.

Quæ ultimo tandem loco de CAESARE, censum Romanorum agentem, & ad singulorum ciuium domos diuertente, adducit, plane falsa sunt, & originem ducunt ex loco SVETONII perperam intellecto. CAESAR enim nunquam legitimum censum egit, quia non condidit lustrum. Non enim id solebat fieri apud Romanos, nisi condito lustro. Solemnis vbiique apud LIVIVM hæc est formula: *Lustrum conditum, quo censa tot millia ciuium.* Testem huius rei adpellamus locupletem, & omni exceptione maiorem, IVSTVM LIPSIVM, Omnis antiquitatis Romanorum promum condum, hac de re sic scribentem: g) *Omnis fons erroris hic: Julius Cæsar cum publice & priuatim turbata omnia reperiisset per bellum ciuale, non censuram, sed imaginem quandam eius sumvit, ad sistendos & vincendos*

---

g) Tom. I. operum pag. m. 740.

endos labentes mores. *Præfectus morum dici voluit, & fuit.*  
*Eo iure non censum instituit.* Non, inquam, solemne illud opus,  
 sed recensum, i. e., examen & inquisitionem in eos, qui iure aut  
 iniuria vtebantur publico frumento. Reperit in confusione illa  
 rerum, numerum creuisse ad trecenta viginti milia: recedit,  
 & reduxit ad sola CL. Suetonius clare cap. XLI: Recensum po-  
 puli nec more, nec loco solito, sed vicatim per dominos insula-  
 rum egit: atque ex viginti trecentisque millibus accipientium  
 e publico frumentum ad CL. retraxit. Similia prorsus istis  
 Dio lib. XLIII., cuius verba posui supra, & nunc non reperio.  
 Hic omnis ille census, quem egit Cæsar; hic numerus non ci-  
 uiuum omnium (nihil vanius) sed tenuis tantum, & egenæ ple-  
 bis, quæ e publico alebatur, & quam ideo birundinem ærarit  
 Cicero alibi dixit. Haec tenus LIPSIVS.

Atque hæc ideo, CIVES CARISSIMI! de censu, tem-  
 pore nativitatis CHRISTI per QVIRINVM facto, in præ-  
 senti disputauimus, vt vos primum ad sapientiam sobriam, &  
 verum diuinarum litterarum amorem adhortaremur. Fuit  
 certe IOH. BODINVS, teste cum primis IAC. AVG. THVANO  
 h) felicissimo ingenio, qui ob multiplicem eruditionem  
 suam summis, quos Gallia vñquam tulit, viris annuuerari  
 meruit: sed abusus est hisce ingenii & doctrinæ dotibus, su-  
 perstitionibus Judaicis nimium quantum deditus. Cuius  
 exemplum, quam periculosa res sit eruditio, si ingenio con-  
 tingat a natura quidem non infelici, certo tamen præiudicata-  
 rum opinionum generi innutrito, vnumquemque condoce-  
 re potest. Qui ita animati sunt, his nihil tam sanctum atque  
 religiosum est, quod non, si cum principiis istis, quæ semel  
 pro veris admiserunt, pugnare videtur, proteruo ausu statim  
 inuadant, & modis omnibus fugillent. Tegitur quidem hoc  
 corruptissimo sæculo nostro hæc importuna philosophandi ra-  
 tio a multis libertatis nomine, adeo, vt contra dominatus pa-  
 palis vocitetur, si huiusmodi præcidatur licentia. Quid vero

C

exco-

---

b) Historiarum sui temporis lib. XCIV. p. 262. edit Francof. in fol.

excogitari potest, quod magis veræ sapientiæ repugnet, quam coelestia effata ad humanum arbitrium examinari? quis hunc papatum ferre possit? qui cum libidine sentiendi, cum infinitis corruptionibus sacrarum litterarum vagatur; qui in laxandis conscientiis dominatur; cui quicquid libet statuere, licet: cuius in religione fundamentum est opinio, in explicatione oraculorum coniectura, in demonstratione doctrinarum aberratio, in præceptione agendorum securitas. Hoc modo titubabit tota fides, si diuinarum scripturarum vacillat auctoritas. Qua quidem admonitione nunc aures vestras non vellicaremus, nisi quotidiana proh! dolor experientia essemus edocti, non deesse hodiendum quamplurimos, qui eodem contagio laborent, & in transversum agantur. Qua propter, ne ad eosdem errorum scopulos in studiorum vestrorum cursu naufragium faciatis, cauete vobis, O! CIVES, a philosophia ista seductrice, quæ hisce exulceratis temporibus sese quidem sub specie singularis cuiusdam soliditatis teste innocuis mentibus insinuare solet, diuinis vero oraculis iniuncta est, ea adulterat, detorquet & contemnit, & talia continet principia, quæ christianæ religionis veritatem penitus evertunt: contra vero sacram scripturam sincero prosequimini amore tanquam unicum vera sapientiæ fontem, & sicubi hæc rationi contradicere videtur, eius veritatem non ad huius præscriptum, sed huius principia ad illius normam exigite, semper memor res effati Paullini: i) Naturalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei. Stultitia enim est illi, & non potest intelligere.

Alterum adhortationis nostræ caput est, vt hodierno die, quo nati Seruatoris nostri, Domini IESU CHRISTI, memoriā anniversaria pietate recolimus, historiam hanc non modo pro vera reputetis, sed eandem etiam ad usum viæ sanctioris studeatis transferre. Ex attenta huius euentus consideratione multæ egregiæ subnascuntur meditationes, quibus studium pietatis in animis vestris excitari potest. Admiranda hic

---

i) 1. Cor. II, 14.

hic nobis primo est diuina prouidentia, quæ circa natuitatem **CHRISTI** singulari prorsus modo sese prodidit. Si enim pri-  
mum decretum **AVGVSTI**, promulgatum anno eius imperii  
decimo septimo, exsecutioni statim mandatum fuisset, **CHRIS-  
TUS** natus non fuisset Bethlehami ex prophetarum vatici-  
niis. <sup>VI</sup> Nam si petaetus fuisset census anno decimo septimo,  
non opus fuisset, eum repeti anno XL. imperii **AVGVSTI**,  
nec **IOSEPHVS & MARIA** occasionem habuissent, Nazaretha, vbi viuebant, relictæ, Bethlehemum contendendi, nec  
**CHRISTUS** proinde ibi natus fuisset. Hinc elucet Dei prouidentia in mutando **AVGVSTI** consilio, & exsecutioni de-  
mum dato ad eum temporis articulum, quo natus est **CHRIS-  
TUS**. Deinde licet demus, vt **ISAACVS CASAVBO-  
NVS** k) aliique viri docti contendunt, hoc de descriptione  
decretum profectum esse ex mera curiositate **AVGVSTI**, non ex  
cupidine implendi ærarii, aut emendandorum peccatorum, quæ  
in exactione nimiorum tributorum commissa ante illuni fue-  
rant: dubitandum tamen non videtur, quin hæc curiositas  
singulari quadam summi Numinis cura in imperatore excita-  
ta sit, nimirum, vt seruandæ natuitatis **CHRISTI** memorie  
inseruaret, & perpetuum eius rei extaret documentum, **CHRIS-  
TI** nomine, & que ac **MARIAE & IOSEPHI**, tabulis cen-  
sualibus illato. Quin imo mystica quadam hic ratio subest.  
Licet census **AVGVSTI** ex mera ambitione ortum haberet,  
typus tamen fuit futuræ aliquando longe excellentioris de-  
scriptionis, qua nomina eorum, qui in **CHRISTVM** crede-  
rent, libro vitæ inserenda. Cuius descriptionis coelestes fru-  
ctus cum neino percipere possit, nisi prius cum **CHRISTO** spi-  
ritualiter renatus, facile vel nobis non monentibus ipsi con-  
cicere potestis, quænam veri christiani, qui festum natu-  
tatis seruatoris sui digne celebrare cupit, præcipua cura & co-  
gitatio esse debeat, nimirum hæc, vt in **CHRISTO**, & cum  
**CHRISTO** renascatur.

Ag-

---


k) In Exercitat. Anti-Baron. exercit. I. num. 31. p. m. 105.

Agite igitur, CIVES OPTIMI! & inter illos, qui huc serio contendunt, quibusque hoc arduum negotium curæ cordique est, non estote postremi, sed primi, ut tanti beneficij diuini, quo nullum maius excogitari potest, hodierno die fatis participes. Delete ex animo veteris Adami formas quotidianas, & noua hac μεταμορφώσει in nouam CHRISTI formam adolescite, quæ vel hodie coelesti in vobis semine surget, cumque tempore in plenum virilis ætatis robur exrescat. Videte, ut in vobis viuat CHRISTVS vera fide, spirret ardenti pietate, operetur efficaci amore. Valete, & nihil prius, nihil antiquius habete, nisi, ut sub auspiciis instantis noui anni vere de vobis dici possit: *Vetera transferunt, ecce facta sunt omnia noua!* P. P. in Academia Regia Ducali IVLIA festo, Natalitiorum CHRISTI die ann.

CCCLXXXVII.







Agite igitur, CIVES OPTIMI! & inter illos  
rio contendunt, quibusque hoc arduum negoti-  
dique est, non estote postremi, sed primi, v-  
diuni, quo nullum maius excogitari pot-  
fiatis participes. Delete ex animo veteris  
tidianas, & noua hac μεταμορφώσει in nou-  
mam adolescite, quæ vel hodie coelesti  
gat, cumque tempore in plenum viri  
scat. Videte, vt in vobis viuat CH-  
ret ardenti pietate, operetur efficaci-  
prius, nihil antiquius habete, nif-  
noui anni vere de vobis dici possit  
facta sunt omnia noua! P. P.

IVLIA festo, Natalitione

cl. cl.

